

omnis modestiæ morumq; probitatis egregia documenta, quæ magno suo scandalo intuentur boni moderatiq; omnes, indignabundè, nec sine ductis ex imo suspiriis, (ut verba Frid. Spanhemii Fil. ex ejus epistola ad amicum *de Novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis* pag. 195. nostra faciamus) recordantes primæ illius ætatis, verè aureæ, quum Christianos non ex sublimiori *γνώσις*, sed ex actionibus ac profuso pietatis cultu æstimandos censeret Antiquitas. Nempe olim magis in pretio arbor vitæ, hodiè arbor scientiæ, quo solo hominem prohibuit rerum conditor: olim *devotio*, jam *curiositas* potior, minusq; cum *Subtilitatum* plus *Sanctitatis*, *Conscientiæ* plus, *Scientiæ* minus, quorum jam inversus ordo est. &c. Quibus haut incongruè junxerimus illa gentilis Senecæ ex Epist. 95. contentioso plurium seculorum Philosophandi modo accommodanda: *Antiqua Sapientia nihil aliud quàm facienda & vitanda præcepit; & tum longè meliores erant Viri: postquam docti prodierunt, desunt boni.*

V. Observavit autem laudatus sæpè *Hornius* Histor. Philos. Lib. IV. cap. VI. Sectarium hoc Philosophandi genus in Romanorum Remp. unà cum Imperii mutatione irrepsisse, & cum antea Romana sapientia, quæ liberâ adhuc civitate florebat, fuisset quodammodo mascula, mox sub Imperatoribus decrevisse illam veræ ac solidæ sapientiæ *ἀνθρώπων*, ac senectutem imbellem, querulam, siccam, successisse: insectam esse servitutem ingeniorum, sectis nomina sua dantium: audita Stoicorum, Platoniorum, Epicureorum nomina: insectam esse maciem, & contentiosum disputandi genus, magis pro opinionibus suis quàm veritate pugnans. Quæ quidem omnia in hæc nostra, cum primis in proximè superiora, secula majori multò jure dicerentur; quibus philosophorum non pauci muliercularum more altercari, opiniones absurdas & ridiculas sibi invicem affingere, & ex mera confutandi adversandiq; libidine sæpe pueriliter sese
 juxta